

sitiones intra *privatam opinionis* cancellos concludantur; et ecclesiae iudicio subiciantur, cum ipsius tantum sit *authenticam* et *auctoritativam* interpretationem dare.

DIFFICULTATES.

I. Obj. I. Scriptura est patrimonium commune; eam Deus in hereditatem legavit filiis suis; Evangelistae fidelium precibus morem gerentes evangelium scripserunt (1); 2. Apostoli epistolas suas ad varias fidelium societates miserunt; 3. Scripturae lectionem omnibus commendarunt; 4. Apostolus Paulus omnibus Thessalonicensis ecclesiae fidelibus injunxit: *Tenete traditiones*, etc.; ergo non coetus pastorum, sed fidelium coetus est *custos divinae revelationis*, ac proinde legitimus eius interpretes.

Resp. I. generatim D. A. Sub directione ecclesiae, quae a Christo ipso revelationem accepit et a Spiritu sancto una cum ipsius intelligentia ac legitimo sensu, C., independentem ab ecclesiae auctoritate et directione, N. Etenim certum est quod Christus *aperuit illis* (apostolis) *sensum, ut intelligerent scripturas* (Luc. XXIV, 45), utique Veteris Testamenti; quoad scripturas vero Novi Foederis certum pariter est ex dictis, ecclesiam iis praescripsisse, easque ut genuinas ac divinas approbasse. Sic apostolorum princeps approbavit epistolas omnes s. Pauli, et simul corripuit praeposteras quorundam privatorum interpretationes (II Petri III, 15).

Resp. II. Singillatim, ad 1, D. Quatenus ad commune bonum et utilitatem a Deo data est sub ecclesiae directione, C. quatenus ad omnes et singulos jus pertinet auctoritative eam custodiendi et interpretandi N. Nam et sacramenta commune patrimonium ac hereditatem constituunt, nec tamen propterea fideles jus habent ea administrandi. Ceterum quinam legislator codicem suum dimittit uniuscujusque custodiae atque interpretationi? Si res ita se haberet, actum prorsus esset de tota ipsa legislatione.

Ad 2. D. Una cum pastoribus suis eorumque subordinatione ac dependentia, C., ad solos fideles exclusive, N. Apostoli scilicet epistolas suas scribebant vel ad universam ecclesiam vel ad ecclesias particulares, quae constitutebantur ex pastoribus et fidelibus, istis autem perpetuo subjectionem et dependentiam a propriis pastoribus commendabant; quod si ad particularia individua scribebant, ea minime subducebant generali institutioni, qua tenebantur obedire iis, quos Spiritus sanctus *posuit episcopos regere ecclesiam Dei* (Act. XX, 28), et quibus dicebatur: *Obedite praepositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (Hebr. XIII, 17).

Ad 3. D. Ut supra, sub directione ecclesiae, C. independentem ab ipsa, N.

Ad 4. D. Id est ecclesiae prout supra explicatum est, C. fidelibus seorsim sumptis, N. Ad apostolos proprii pastoralis ministerii officio functos esse, cum ista scriberent ad fideles communiendos a secu-

(1) Ita passim scriptores Historiae Ecclesiasticae testantur.

toribus, ac propterea ex illorum agendi ratione magis confirmari necessitatem dependentiae a legitima auctoritate, ne in errorem quis inducatur vel ex propria infirmitate vel ex aliorum malitia.

Inst. Scriptura non est nisi voluntatis Dei declaratio; aequi omnium filiorum est interpretatio voluntatis patris; ergo.

Resp. D. min. Juxta regulas, quas pater ipse praescripserit, ac prout exigit ipsa rei natura, C. pro utriusque arbitrio ac voluntate, N. Alioquin, si illis oriretur inter filios circa patris dispositionem, nullus unquam finis disceptationis haberetur. Quare apostolus Petrus omnibus inculcat: *Hoc primum scientes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Epist. I, 20, 21).

II. Obj. Si ecclesia esset revera depositaria, custos atque interpretes infallibilis revelationis, nulla unquam excitata controversia fuisset circa numerum librorum canonicorum eorumque authenticitatem, nulla quaestio mota fuisset circa traditiones; atqui magna olim, ac primis ipsis ecclesiae saeculis, dissensio fuit circa hos articulos inter diversas ecclesias, nec magis Patres inter se hac in parte concordantes fuerunt (1); ergo.

Resp. D. M. Si ecclesiae infallibilitas esset per modum revelationis aut inspirationis, C. si per modum adstantiae ne erret in propriis iudiciis, N. Porro apostoli acceptam a Christo revelationem consignarunt vel singularibus individuis, episcopis scilicet, vel particularibus ecclesiis quas instituerunt, et ad quas identidem etiam scripserunt; nec totam insuper, atque, ut ita dicam, in solido revelationem singulis ad instar unius doctrinae corporis tradiderunt, sed prout occasio ferebat, exceptis articulis explicite necessario ab omnibus credendis, eam proponebant, prout colligitur ex I. Cor. III, 1, 2, et alibi passim. Hinc non potuit statim constare singulis episcopis vel ecclesiis particularibus, ex quibus ecclesia universalis coalescit, de iis, quae apostoli sive viva voce, sive scriptis singularibus vel episcopis vel ecclesiis commiserunt. Inde orta quandoque vel excitata controversia sive circa numerum librorum canonicorum, sive circa veritatem aliquarum traditionum, sive de eodem circa legitimum sensum quorundam scripturae locorum, donec collatis suffragiis ecclesia universa divina ope suffulta de eis determinaverit seu iudicium tulerit (2).

(1) Cons. Franc. Marchini *Tractatus de divinitate et canonicitate sacrorum Bibliorum* (Vid. tom. 3. *Curs. compl. Scripturae sacrae*.)

(2) Ex his patet, celeberrimum Vincentii Lirinensis effatum, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est esse tenendum*; quod ipse fuse evolvit n. 3, 4, 5, adversus haereticos in suo *Commonitorio*, et quo nonnulli ex recentioribus scriptoribus abusi sunt ad statuendam meso quam auctoritatem universalem generis humani ut fidei christianae basim, non esse intelligendum nisi in sensu, ut dicuntur, *positiva* quatenus nempe, *quod semper*, etc. non possit non

Inst. Ergo ecclesiae fides non semper uniformis fuit.

Resp. Si sermo sit de aliqua difformitate positiva, quatenus alii contraria vel diversa crederent N. Si de difformitate negativa, *subd.* quoad ecclesias aliquas vel particularia individua circa puncta nondum definita, Tr. vel C.; quoad ecclesiam universalem, N. Voco autem difformitatem negativam illam diversam sentiendi rationem, quae oriebatur vel adhuc oritur circa quaestiones nondum eliquatas vel definitas, quae potius provenit ex carentia cognitionis quam ex positiva aliqua scientia; omnes tamen ita affecti erant, prout semper sunt, ut implicite crederent ea omnia, quae tanquam divinitus revelata teneret vel tenet ecclesia, explicite credituri, si ea expresse ecclesia definitivisset vel definiret.

PROPOSITIO IV. — *Ecclesia Christi est una, visibilis atque perpetua.*

Illic nobis in animo non est agere de notis verae ecclesiae, de quibus ex professo in tractatu de *Locis theologicis* sermo instituetur, sed solum eas intrinsecas et essentiales proprietates persequi, quae ad rem presentem faciunt, juxta methodum quam nobis praefiximus ad impugnandos heterodoxos.

Ut igitur ad propositum veniamus, ecclesia est societas ab ipso Christo instituta ad profitendam religionem, cuius ipse auctor est et invisibile caput. Cum vero religionem Christus ad commune hominum bonum et utilitatem instituerit, hinc sequitur quod ecclesia vel societas a Christo instituta necessario debeat esse *una, visibilis atque perpetua*.

Una quidem, prout una est religio, una fides, quam Christus homines docuit, quamque ipse voluit homines profiteri. Religio autem et fides, sicut et veritas, una est ac indivisibilis in sui notione, nec ullam patitur cum falsitate et errore vel commixtionem vel transactionem, cum altera alteram excludat, veritas enim, ut acute observat s. Augustinus, est quod vere est (1), falsitas autem quod non vere est; quicumque propterea recedunt a fide quam Christus tradidit ecclesiae suae, seu societati quam ipse instituit, hoc ipso recedunt a veritate et ab unitate; ergo ecclesia Christi est essentialiter una, sicut essentialiter una est fides et una veritas.

Et sane Christus vocat ecclesiam suam *unum ovile* esse verum, aut non ex traditione apostolica descendere; non autem in sensu *negativo*, ita ut verum aut certum non sit censendum quidquid semper, ubique et ab omnibus creditum saltem explicite minime fuerit; alioquin actum esset de authenticitate et canonicitate omnium librorum, quos deuterocanonicos dicimus; quod prorsus absurdum est, atque a Vincentii Lirinensis mente omnino alienum, qui profecto non ignorabat agitatam adhuc sua aetate esse, vel paulo ante fuisse controversias circa sacrorum librorum canonicitatem; et abunde constat successu temporum sexcenta fuisse ab ecclesia definita, quae prius, nondum ortis haeresibus, quae solemnes ejusmodi definitiones provocarunt, non nisi *implicite* credebantur.

(1) Tract. xxxviii, in Joan. n. 10, p. 559, edit. Maur.

(Joan. X, 16), vocat regnum suum (1), Ecclesiam suam (Math. XVI, 18), etc. Et apostolus *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Ephes. IV, 5); et in symbolo apostolico jubemur credere *ecclesiam catholicam* (2).

Omnis insuper societas, quae ex hominibus coalescit, debet necessario esse visibilis atque externa; talis autem est ecclesia quam Christus instituit. Ergo ecclesia Christi non solum una, sed et visibilis est. Quare non solum internam fidem, sed et externam fidei professionem Christus ab hominibus exposcit: *Qui confitebitur me coram hominibus, inquit, confitebor et ego eum coram Patre meo; qui erubuerit me et sermones meos coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* (Math. X, 32). Et Apostolus ad Romanos: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (cap. X, 10). Symbola praeterea externa ipsis dedit, nempe sacramenta, externum sacerdotium et externos ministros; praecipit ut omnes obedirent praepositis sibi pastori-

(1) Matth. xvi, 28, et alibi ecclesia passim a Christo regnum Dei vocatur, *regnum caelorum*, etc.

(2) Ubi obiter notandum est, plerosque protestantes, qui adhuc retinent symbolum apostolicum, prorsus sustulisse vocem *catholicam* e symbolo, ne, quoties illud recitant, toties propriae sectae condemnationem reperiant. Attamen neque hac ratione illam effugiunt, siquidem, cum profiteantur se credere *ecclesiam*, et quidem unicam et singularem, quid aliud venire potest sub hac denominatione nisi ecclesia catholica? Numquid ridiculum non est putare, apostolos vel auctores antiquissimos hujus symboli, quod saltem ab aetate apostolica provenit, et doctrinam apostolicam continet, voluisse ut objectum vel articulum fidei proponere: *Credo ecclesiam lutheranam, vel reformatam, vel protestantem*, etc.? Alii nonnulli aliter vitium originis suae obtegere conati sunt, dum vocem *catholicam* aequivoce verterunt per vocabula germanica *Allgemeine christliche*; Borussiae rex qui apud protestantes sui regni sacris praest, in *Agenda*, seu *Rituale* protestantico, ejus jussu ex ecclesiae romanae *Ordinibus* et antiquis ritualibus catholicis conflato, et protestantibus regia auctoritate nuper imposito, verba Symboli apostolici: *Credo... Sanctam ecclesiam catholicam, sic transtulit: Ich glaube... eine heilige, allgemeine christliche Kirche* (Vid. *Agende für die evangelische Kirche in den Königlich-Preussischen Landen, mit besonderen Bestimmungen und Zusätzen für die Provinz Westphalen und die Rhein-Provinz, pag. 25, in-4, Berlin 1854, id est Agenda pro evangelica ecclesia regni borussici, cum peculiaribus dispositionibus et additionibus pro provinciis Westphaliae et Rheni*); sectae itaque suae sententiam clarius pronunciat, quam si vocem *catholicam* omnino de medio sustulisset. Dixi *auctores antiquissimos*; licet enim quidam recentiores intemperantes critici subdubitare videantur, apostolos per se hanc fidei regulam, quam symbolum apostolicum dicimus, minime confecisse, attamen extra dubium est ipsum antiquissimum esse, cujus jam meminit Tertullianus, in lib. *De Virginibus velandis*, c. 1, ubi illud vocat *regulam fidei*, tum in lib. *De Praesc.* c. 15, et *Adr. Praxeam*, c. 2, atque s. Irenaeus, lib. 1. *Contra haereses*, c. 2; imo doctus Petavius censet ad hanc fidei formulam, passim jam receptam in omnibus ecclesiis apostolica aetate, s. Paulum respexisse in Epist. I. ad Cor. vii, 5, quaeque catechumenis ac tronibus, ante baptismum proponi, atque ab iis exigi solebat (*Theol. dogm.* tom. II, lib. III, de Trin. c. 1, § 5). Vid. *Berger, Dict. de théol. art. Symbole*, nec non *Nat. Alex. Diss. XI in soc. ecclesiae*.

bus, et vicissim injunxit pastoribus, ut pascere grege sibi commissum; voluit ut omnes sub comminatione aeternorum suppliciorum ad ecclesiam accederent, e contrario autem inobedientes et perversos in proprio sensu ab eadem expellerentur, aliaque ejusmodi; quae quidem omnia societatem profecto visibilem et externam supponunt. Ut ergo ecclesia Christi necessario est una, ita necessario visibilis est atque externa.

Ex iisdem principiis veluti sua sponte sequitur Christi ecclesiam perpetuam esse debere, seu perpetuo duraturam. Etenim Christus pro omnibus omnino hominibus, ac proinde pro hominibus omnium locorum et saeculorum, religionem suam instituit, ac fidem credendam proposuit; voluit ut quovis tempore infideles, quibus annuntiaretur evangelium, ad ecclesiam accederent, eidemque aggregarentur, et quovis tempore ab eadem expellerentur contumaces ac rebelles; hinc semper subsistere debet ecclesia seu ista societas, quam semel Christus instituit in omnium bonum ac utilitatem (1).

(1) Atque hinc refellitur illorum sententia neotericorum, qui ausi sunt affirmare, Christum non potuisse religionem, ut vocant, positivam instituire, eo quod haec contraria sit hominis indoli, quae ad libertatem adeo pronata est. Id tamen plane ridiculum est; nam eo quod nonnulli rebelles se submittere detrectant legitima auctoritati a Deo constitutae, debent ne Deorum perverse agendi et sentiendi rationi se se accommodare? Cum tamen apud prophetam scriptum sit: *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Posset et hic dicere Christus Dominus: *Numquid et vos vultis abire?* Praeterea hic obiter monebo, nullum majus inesse pondus alii rationi, quam ad hanc impossibilitatem saltem indirecte ostendam, adducit neotericus auctor Georg. Hermes, nuper theologiae professor in universitate Bonnæ, in sua *Introductione ad christiano-catholicam theologiam*, germanice exarata, p. 1, *Philosoph. introduct.* edit. 2. Munsteri 1831; ubi postquam in quest. III, p. 504 et seqq., multa obscure atque implexa disseruit de possibilitate revelationis supernaturalis, tandem accedens ad eas generales condiciones, a quibus revelatio tanquam realis est habenda, p. 525 hoc generale statuit criterium: *ibi, nec alibi, realitas supernaturalis divinae revelationis vel cujuscumque miraculi admitti debet, ubi per hujus negationem ratio theoretica necessarium principium rejicere, vel practica indubium officium omittit cogitur, quia in utroque casu ratio vadem se praestat pro ipsius realitate et veritate.* Quod principium seu criterium a nullo vere catholico admitti potest; inde enim sequeretur humanam rationem, sive theoreticam sive practicam, esse judicem eorum, quae Deus revelare ac moliri posset. Quid si agatur de his, quae mentis nostrae captum excedunt, ejusmodi plura sunt, quae in revelatione supernaturali continentur? Motiva, ut vocant, extrinseca credibilitatis ad haec admittenda sufficere debent; alioquin non rationem revelationi ac mysteriis, sed revelationem ac mysteria rationi subiceremus, quod est principium socinianorum et incredulorum. Sed de hoc auctore ejusque systemate, cui adlaborando viginti tres annos ipse insudavit, suo loco dicemus. Interea id graviter dolemus, quod hermesianum ejusmodi eversivum systema in Westphalia passim atque in Borussia in ipsis scholis catholicis et recipitur et propugnatur.

Haec quidem ita se habebant, cum primum hoc opus lucem prodidit (anno 1835); posteaquam vero emissum est decretum a sancta sede adversus Hermesii

Cum vero per hominum infirmitatem vel malitiam ac improbitatem fieri posset, ut veritates ab ipso propositae vel ex toto vel saltem aliqua ex parte laederentur, vel ut dissolveretur societas ipsa, quam Christus instituerat, hinc perpetuam ac nunquam desitutam protectionem et defensionem suam eidem promisit, qua fieret, ut intemerata semper persisteret adversus quaecumque hominum ac inferorum molimina; sic apud Matthaeum: *Portae inferi*, inquit, *non praevalent adversus eam* (Matth. XVI, 18), et iterum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII, 20); et alibi passim. Quae oracula, aliaque ejusmodi, semper ecclesia intellexit de indefectibili sui subsistentia et infallibilitate sibi a Christo tributa usque ad mundi finem. Ac proinde ecclesia Christi, ut necessario ac natura sua una est ac visibilis, sic necessario perpetua ex Christi institutione est atque indefectibilis.

Ex dictis sequitur, 1. cum Christus unitati tantum prerogativas omnes tribuerit tum auctoritatis, tum infallibilitatis, etc., has nullo modo privatis hominibus competere.

Sequitur 2. has multo minus vindicare sibi posse sectas quaslibet utut numerosissimas, quae identidem ab unitate recesserunt, quaeque spectari debent veluti totidem rami a magna arbore excisi, ac veluti rivuli a fonte separati et disjuncti, veluti membra a vivo corpore exsecta, ut sancti ecclesiae patres passim loquuntur, ac praesertim S. Cyprianus (1); ideoque sectas carere vita omnique vite principio (2).

Sequitur 3. somnari prorsus eos omnes, qui, ad suam honestandam defectionem ab ecclesia, obtrudunt nescio quam invisibilem successionem et

libros, nemo catholicus Hermesianam doctrinam in publicis scholis trebitur, illive favebit. Nec stetit per illum Archiepiscopum coloniensem, qui tanquam murum aeneum sese illis perniciosissimis novitatibus opposuit, quominus vel ab ipsis animis eraderetur. At eheu! constantiae et fortitudinis suae reus molestam subit captivitatem, quae utinam neque novatoribus addat audaciam, neque in sanae doctrinae vergat detrimentum!

(1) *Ecclesia una est*, inquit sanctus martyr (lib. de unitate ecclesiae), *quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non potest. A fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et ecclesia Domini, etc.* Edit. Maur. p. 195.

(2) Ut rami dissecti, radii a sole divisi, etc. Hinc concludebat idem s. Doctor: *Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem*, ibid. pag. 196. Impossibile est ut sectarii oculos in sanctorum ecclesiarum patrum scripta conjiciant, et illico non inveniant propriae sectae damnationem. At ipsi sapientissimos patres contemnunt, nec illorum ullam rationem habent. Ipsi viderint, si coram Deo tanta animorum audacia eos excuset; etiam veteres haeretici, ut refert s. Irenaeus, lib. III, *Contra haereses*, sub finem cap. 2, parvipendebant apostolos: Quid inde?

communionem cum justis (id est, haereticis) omnium rateritorum temporum, ex quibus tantum vera ecclesia a Christo instituta juxta ipsos coalescit (1).

Sequitur 4. commentitiam esse distinctionem articulo- rum fundamentalium et non fundamentalium, quam primus invenit Jurieu (2), quamque protestantes passim ambabus ulnis velut salutarem protestantissimi tabulam, qua ab imminente naufragio eriperentur, sunt complexi, ut adstruerent ad ecclesiam Christi seu unitatem eos omnes pertinere, qui articulis fundamentalibus assentirent, licet alios omnes articulos fidei rejicerent. Ceteris enim omissis, futilitas hujusmodi distinctionis ex eo deprehenditur, quod ea detrahat unitati ac integritati fidei, quam Christus omnibus indiscriminatum credendam per ecclesiam a se institutam proposuit, dicens: *Docete omnes gentes servare omnia quaecumque mandavi vobis... Qui non crediderit, condemnabitur* (Matth. cap. ult.; Marc. XVI, 16).

Sequitur 5. unitatem debere perpetuari, qualem Christus ipse eam instituit; jam vero Christus eam non solum constare voluit ex unitate seu identitate fidei et ex eorumdem sacramentorum participatione, verum etiam ex unitate regiminis, ac speciatim ex uni-

(1) D. Neander, berolinensis professor, in sua *Histoire de l'Eglise*, statuit quod ad bene cognoscendam historiam et eventus religionis christianae seu ecclesiae, necesse sit rei hasim ponere in idea ecclesiae invisibilis. Haec assertio multos nacta est impugnatores etiam inter reformatos. In *Ephemeride evangelica*, quae Berolini imprimitur, pastor Grundwisch, in articulo cui titulus *Neander*, scribit ejusmodi ecclesiam invisibilem inventam seu excogitam esse a protestantibus ad respondendum catholicis, qui eis exprobrabant non amplius eos in ecclesia esse, extra quam non datur salus, quibus non aliter reponere poterunt quam dando hoc nomen soli electorum ecclesiae, quae nulla distinguitur nota sensibili. Verum, subdit ipse, si homines nullum habent adjumentum ad discernendam veram ecclesiam, haec non erit nisi *ens imaginarium*, atque impossibile pariter erit asserere cum certitudine, utrum s. Stephanus an vero ipsius carnifices pertinuerint ad ecclesiam, eo quod nos eos non aliunde discernere possimus quam ex verbis et actionibus, id est, ex rebus sensibilibus.

(2) Cum animadverteret premi a catholicis reformatos protestantes ab ineluctabili argumento, desumpto ex perpetuitate Ecclesiae ac nunquam interrupta episcoporum successione, ab identitate doctrinae, etc. hinc excogitavit distinctionem articulo- rum fundamentalium et non fundamentalium, quam late prosequitur in opere, *Le vrai système de l'Eglise*, in-8, 1686, tum in opere *Unité de l'Eglise*, in-8, 1688, quibus ostendere nititur Ecclesiam constare ex omnibus societatis christianis, quae retinuerunt *fundamenta fidei*. Fanatici omnium saeculorum proscripti ab ecclesia catholica in diptychos istius Jurieu referantur. Ipse Bayle, tanta ministri protestantis amplitudine percitus, cum acriter impugnavit in suo tractatu *Janua calorum reserata cunctis religionibus a celebri admodum viro domino Petro Jurieu*, cui epigraphum praemisit: *Porta patens esto, nulli claudatur honesto*. Verum ejusmodi systema, quod ab initio per hominum ora late abiit, jam plane jacet etiam apud ipsos protestantes. Nulla quippe est secta, quae non fateatur per illam doctrinam subruere fidei fundamenta. Quis judex erit? Vid. Feller, *Dict. hist. art. Jurieu*; Bayle, pariter in art. *Jurieu*, ubi eum vellicat acerbissime.

tate capitis visibilis, quod universae a se institutae praefecit ecclesiae; Petrum dico, cui Christus apud Matthaeum ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* (Matth. XVI, 18). Ac rursum apud Joannem eidem Petro: *Pasce agnos meos... pasce oves meas* (Joan. XXI, 15 et seqq.). Quae verba de vera superioritate potestatis, honoris ac jurisdictionis Petro ejusque successoribus collata semper intellexit Ecclesia. Sequitur proinde schismaticos esse eos omnes, qui ab hoc capite ac unitatis centro se subduxerunt vel identidem subducunt, ideoque ad Christi ecclesiam nulla ratione pertinere, qui Petro ejusque legitimis successoribus non adherent; nec quidquam episcopos in ecclesia posse, quod gubernandi potestatem attinet, nisi cum Petro et sub Petro, cum sub hac conditione tantum ipsi utantur privilegiis seu prerogativis, quibus Christus episcopatum instruxit. Unitati siquidem, ut ostendimus, Christus has prerogativas concessit (1).

DIFFICULTATES.

I. Obj. Eodem modo quo ecclesia est una, est etiam sancta; ergo sicut pravitas morum in individuo non officit verae ecclesiae sanctitati, sic diversitas aut pravitas fidei ac doctrinae non detrahit ejus unitati.

Resp. *Conc. antec. et neg. conseq.* Ad paritatem D. Si pravitas morum sit personalis, C. si doctrinalis vel N. vel *subdist.* privata, C. publica, quae nempe proveniat ex Ecclesiae magisterio N. Sanctitas enim Ecclesiae perinde ac unitas non minus ex fidei regula quam ex regula morum pendet; quapropter, si semel Ecclesia pravam morum doctrinam traderet filiis suis, aperte patet quod sancta jam esse cessaret, eadem ratione ac si prava dogmata doceret. Quod si nonnulli privati sive circa fidem sive circa mores peccarent, utique istorum error aut ignorantia aut malitia nullo modo officerent sive unitati sive sanctitati ecclesiae, sed illis solis nocerent.

I. Inst. Unitas plerumque ex diversis, imo contrariis quandoque elementis seu principiis constare potest; ergo et unitas fidei.

Resp. D. A. Unitas physica, C. doctrinalis, fidei ac religionis N. (2).

II. Inst. Religio vetus sive naturalis sive judaica una et integra subsistebat, licet ipsarum cultores diversa, imo et contraria sentirent circa multos articulos, prout de ethnicis notum est, et quod spectat

(1) Ut patet ex facto, et ex confessione ipsorum incredulorum Gibbon et Hume, quos inferius adducemus.

(2) Unitas enim fidei ac religionis est ipsa incommutabilis veritas, simplex, indivisibilis, aeterna, quae ab ipso Deo dimanat, qui est veritas ipsa subsistens, ut passim loquitur s. Augustinus, et ut patet per ae.

ad Judæos, circa resurrectionem futuram ex gr. ut sadducei, vel circa humanam libertatem vel aliquot traditiones, ut pharisæi (1), vel circa libros canonicos, ut samaritani; ergo.

Resp. *Neg. antec.* Quoad omnes partes: ac primo quidem ad ethnicos quod spectat, errores, quibus pedetentim se commacularunt, errores erant privatorum, qui a regula seu fidei norma desciverant. Cum vero in dies cresceret ejusmodi defectio, ne religio ex integro periret, Deus in Abrahamo ejusque posteris peculiarem sibi populum delegit velut publicum veræ religionis ac fidei depositarium, apud quem vera ecclesia seu religio subsistere incolumis pergeret; ad hanc autem, spiritu saltem, pertinebant quicumque inter gentes veram religionem ex antiqua et domestica traditione profitebantur. Quod si aliqui etiam inter Judæos a veritatis tramite deflexissent, et adversati essent expressis fidei articulis, quos vera Ecclesia profitebatur, hoc ipso culpabiles erant, et spiritu saltem, cessabant pertinere ad hanc veram Ecclesiam, quandoque etiam ab ipso corpore expellebantur (2). Hinc vera religio seu Ecclesia una semper ac indivisa immutabiliter existit, non obstantibus illis particularibus defectionibus, quæ nocebant quidem his culpabiliter errantibus, non autem fidei et Ecclesie integritati et unitati, cui Deus semper prospexit, quamque incolumem ad Christum usque peculiari sua providentia servavit.

II. Obj. cum Breitschneider (5): 1. Uniformitas in modo concipiendi veritates fidei est prorsus impossibilis. 2. Variationes continuæ hac in parte ex historia biblicorum ac dogmatum particularium patefient. 3. Unitas, quam catholica Ecclesia jactat, reducitur demum ad unitatem verborum, quæ pariter existit in fidei professionibus ecclesie evangelicæ; 4. sed verbum est sonus vacuus, neque constituit unitatem intellectualem; 5. sic nulla inter nos omnes est discrepantia in pronunciandis his verbis: *Credo in Deum*, attamen quæ non existit diversitas in nostris conceptionibus respectu divinitatis? 6. Vis et auctoritas cum ultimo non inducant nisi unitatem in verbis, satius est non aliam admittere auctoritatem quam rationis utpote quæ sola consistere possit cum spiritu religionis ac dignitatis hominis rationalis. 7. Homo

(1) Cons. Flav. Josephus, *Antiquit.* lib. xviii, cap. 1 et seq. ubi exponit dogmata peculiaria uniuscujusque sectæ, pharisæorum nempe, esseniorum, sadduceorum et galilæorum, qui a Juda Galilæo nomen sortiti sunt.

(2) Flav. Josephus *ibid.* refert sadduceos coactos fuisse, cum aliquam publicam administrationem susciperent, se conformare pharisæorum placitis, alioquin ipsos populus minime tulisset; sic enim de sadduceis scribit (§ 4): *Ὅποτε γὰρ ἐπ' ἀρχῆς παρέβουεν, ἀκούσιως μὲν καὶ κατ' ἀνάγκην, προσχωροῦσαι δὲ οὐκ ἔβουεν, ὡς οἱ φarisæοὶ λέγουσι, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτὸς γενέσθαι τοῖς πλείοσιν*, id est, « Nam, si quando magistratus gerunt, inviti et necessitate coacti, pharisæorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus. »

(3) In op. cui titulus: *Henricus et Antonius, seu de proselytis ecclesie romanæ et ecclesie evangelicæ*; cui respondit D. Handschub, in ejusdem operis continuatione, Viennæ 1828.

quilibet per se veritatis compos fieri debet. 8. Privare omnes homines ejusmodi jure naturali, eo quod nonnulli individui homines eo abusi sint, æque absurdum esset ac interdicerere omnibus navigationem, quia nonnulli naufragium fecerunt; ergo.

Resp. ad 1. *D.* Quoad gradum comprehensivis, *C.* quoad substantiam *N.* Scilicet omnes uniformes esse possunt in credendis iisdem fidei articulis, quoad eorum substantiam, at pro majori vel minori ingenii acumine, vel cognitionis seu scientiæ apparatus, majori vel minori perfectione eos percipiunt, prout pariter contingit in scientiis naturalibus; sic rusticus et astronomus eandem quoad substantiam solis et lunæ ideam habent, sed astronomus eas callet leges, quas ignorat rusticus, et ita de ceteris.

Ad 2. *D.* Apud dissidentes ab ecclesie auctoritate, *C.* apud dociles Ecclesie filios in definitis fidei articulis *N.* Ecclesia catholica semper idem credidit, tenuit ac docuit in iis quæ ad fidem pertinent; quod si dissidentes hæretici ac protestantes et rationalistæ in perpetua fluctuatione fuerunt et sunt, sive circa Scripturæ sensum, sive circa particularia dogmata, illud defectui auctoritatis, quam rejecerunt, adscribere debent, non autem auctoritati ipsi, quæ sola efficit, ne incerti circumferamur omni vento doctrinæ (Ephes. IV, 14).

Ad 3. *Neg.* Verba enim non sunt nudus vocis sonus ac sensu vacuus, sed signa sunt mentis conceptuum, ut omnes logici docent. Neque Christus, neque apostoli, cum fidem tradiderunt et commendaverunt Ecclesie, ut eam usque ad consummationem sæculi intemeratam custodiret et conservaret, unquam in animo habuerunt tradere ac commendare nudum vocis sonum, seu voces sensu vacuas, sed veritates per verba significatas; sic neque martyres sanguinem fuderunt ad conservandam materialem verborum formulam, cui nulla determinata idea responderet. Certe Apostolus Timotheo commendabat, ut *formam haberet sanctorum verborum, quæ a me*, inquit, *audisti in fide* (II Tim. I, 13). Ludicra porro fuisset hæc commendatio, si verba non sunt nisi voces sensu vacuæ. Cum legislatores leges condunt, vel cum principes decreta promulgant, in adversarii hypothesis non darent nisi voces absque sensu; cum medici pharmacum ægrotis præscribunt, non præscriberent nisi materialem verborum formulam; patres-familias filiis suis petentibus panem, dare possent lapidem, pro ovo scorpionem, pro pisce serpentem. Adeo desipiunt, qui unitatem ecclesie impugnant! Negamus præterea ecclesiam, quam dicunt evangelicam, prout in Ecclesia catholica viget, præferre unitatem fidei, tum quia ex protestantismi notione, ut inferius exponemus, nullam habet auctoritatem, qua præscribere possit ejusmodi fidei unitatem, tum quia ecclesie singulæ diversas fidei professiones habent, quas pro diversitate temporum seu scientiarum progressu, ut ipsi dicunt, variant, tum quia *passim* jam nullum librum symbolicum admittunt (1).

(1) Ecclesie evangelicæ rhenanæ, in decreto unio-

Ad 4. *Neg.* Omnes enim homines hactenus verba veluti signa mentis notionum habuerunt, atque ut medium necessarium ad suas ideas sibi invicem communicandas. Sublatis verbis, actum est de societate et de qualibet scientia; libri omnes physicæ, matheseos, etc., essent abjiciendi, si nullum præferrent sensum, nec scientiæ unitatem; ad confusionem babelicam reverteremur. Adde quædam verba habere sensum determinatum et unicum, ejusmodi e. g. sunt nomina, quibus geometriæ utuntur, cum designant circulum, triangulum, etc.; quædam autem quamdam pati latitudinem significationis, ita tamen ut habeant ideam fundamentalem certam in quam omnes conveniunt (1).

nis § 3, decreverunt assumere sacras scripturas velut unicum doctrinæ theologicæ fundamentum, e medio tollendo quodcumque symbolum; quod decretum confirmatum fuit, post novam deliberationem mensis Novemb. 1825, a tertia Synodo generali ecclesie protestantis Rheno-Bavaricæ. Ecclesia genevensis pariter omnia symbola et confessiones fidei rejecit, in suo statuto sub die 5 Maii 1817. Quæ quidem documenta aliaque inferius dabimus. Interea patet viam impiorum revera esse tenebrosam; nesciunt ubi corruant; adeo nempe apud protestantes res fidei ac religionis perturbatæ sunt et confusæ, ut nesciant ubi pedem figant, neque ubi consistant. Dixi autem *passim* protestantes nullum jam librum symbolicum admittere; quoniam non ignoro aliquot protestantium communionem ejusmodi libros adhuc retinere; imo in Borussia rex ipse novam a se editam liturgiæ tantquam librum symbolicum, fidei per cultus uniformitatem manifestatam, promulgavit, omnesque ministros jurejurando ad eam suscipiendam adstrinxit. Sed notum pariter est hisce ministris, qui in libros symbolicos jurant, persuasum esse se hujusmodi jurejurando ad credenda vel docenda ea omnia, quæ in libris istis continentur, adstringi minime posse. In hac porro ingenius ac religiosus viris non satis honesta agendi ratione ipsi ministri aliquam excusationem obtendere posse videntur; siquidem qui apud ipsos Pontifex seu Papa est, non censuris, sed aut expulsionem aut armata militum vi eos ad obediendum adigit; quod sub finem anni superioris (1834) evenit. Cum enim detrectasset non pauci lutherani ministri ac lutheranæ societates excipere novam *Agendam*, seu liturgiæ denuo præscriptam sub die 28 Febr. anni 1834, a qua vehementer abhorrebant æque ac ab conjunctione cum *ecclesia unita* quam vocant, de qua aliquid inferius dicemus, plures parochi de loco, in quo erant, dejecti sunt, ac a lege statutis penis multati, novique vicarii in ipsorum locum suffecti. Quum vero, in quadam Silesiæ urbe *Oels* nuncupata, turba templum oclusisset atque obsignasset, ne novis vicariis aditus ad illud pateret, quingenti milites urbanusque Prætor missi sunt, qui populum coercerent et compellerent. Quo in tumultu ipso nativitatibus dominicæ pervigilio ad viginti circiter homines vulneribus multati sunt; in singulas autem domos decem, et quindecim etiam, milites distributi, qui ad frugem et obedientiam pertinacioribus suavioribus argumentis adducerent. Atque hoc specimen est certissimum libertatis conscientiæ, quam protestantes tantopere deprecantur. Præclaram conscientie libertatem! Operæ pretium erat Romani Pontificis jugum abjicere ad eam nanciscendam! Habemus tamen, quod vehementius miremur; nam in iisdem hisce locis, de quibus est sermo, lutherani *dissentientes* ab ecclesia unita seu evangelica modo vocantur *protestantes*, modo *secta*; Vid. *Ephem. univ. Augustanæ* n. 26, 27, cum additamentis extraord. ad diem 1 Januarii 1835, n. 21, p. 102, 103.

(1) Apposite Cl. Manzoni: « Questa diversità, o per

Ad 5. *D.* Non omnes eundem conceptum habent divinitatis quoad cognitionis gradum, ut supra dictum est, *C.* quoad substantiam *N.* Omnes enim qui hæc verba proferunt: *Credo in Deum*, non aliud intelligunt sub generali Dei notione nisi summum esse ac perfectissimum rerum omnium principium, etc., etsi non apprehendant in specie summas ejus perfectiones, ceteraque omnia, quæ in Deo considerari possunt, quæque non nisi docti et quidem pro diverso scientiæ gradu assequuntur.

Ad 6. *Neg.* ex dictis. Ad id vero quod adversarius subdit, satius esse non aliam admittere auctoritatem quam rationis, respondeo, rationem minime præferre aliquam auctoritatem in iis quæ ad fidem pertinent, sed eam in his non esse nisi pedessequam; positis scilicet fidei dogmatibus, potest ratio plura invenire ad ea illustranda, magisque comprobanda, atque ad ostendendum nullam in iis inveniri repugnantiam, etc.; has enim partes, et quidem solas, potest habere ratio in rebus fidei. Ex quo patet falsum esse quod ipse assumit, homines scilicet rationales veluti machinas excipere debere veritates fidei, iisque assentiri; talis enim semper fuit spiritus religionis, ut nullo modo detrahat dignitati hominis rationalis, cum ipsa ratio nos doceat summa veneratione excipienda esse quæ tanquam divinitus revelata proponuntur ab auctoritate infallibili, nomine ipsius Dei, cujusmodi Christi ecclesiam esse ostendimus.

Ad 7. *D.* Veritatis ordinis naturalis, *Tr.* vel *C.* ordinis supernaturalis ac revelatæ *N.*

Ad 8. *Neg.* suppositum, homines nempe jure naturali gaudere inquirendi in veritates a Deo revelatas; in his enim homines non habent *ius*, sed *debitum* captivandi proprium intellectum in obsequium fidei (II Cor. X, 5; Philipp. II, 17); et quicumque sibi temere arrogarunt ejusmodi commentitium jus, se committendo liberæ navigationi, ut similitudine adversarii utar, *naufragaverunt circa fidem* (I Tim. I, 19), ut Hymeneus et Alexander, prout testatur Apostolus. Certe Christus, cum misit apostolos ad prædicandum, de ejusmodi jure ne verbum quidem fecit, sed simpliciter eis dixit: *Prædicare evangelium omni creaturæ; qui crediderit, salvus erit; qui non crediderit,*

dir meglio latitudine di significato, si trova più specialmente nei nomi consecrati ad esprimere disposizioni morali. Ma non pertanto è certo, che gli uomini s'intendono fra di loro, se non con precisione, almeno approssimativamente, quando adoperano o ascoltano alcuna di queste parole; non potrebbero anzi disputare, se non andassero intesi più o meno, se non dessero in parte lo stesso significato alle parole in questione; il che ha fatto dire a taluno, che non vi ha dispute di meri vocaboli, ma che tutte sono d' idee. Questo si spiega, a mio credere, osservando, che in ognuno di questi nomi d'idee morali (quod de ceteris dici debet) vi è una idea predominante e generalissima che tutti vi riconoscono, benchè nell'applicazione essa subisca modificazioni indefinite secondo la diversità delle menti; idea che ricompare sempre, e che regge per così dire il complesso d' idee alle quali si vuole applicare quel nome. (*Morale catol.* cap. 17, p. 355, edit. rom.).

condemnatur. Videat adversarius, ne in horum censu sit.

III. Obj. cum Beniamino Constant (1). Christus nullam determinatam ac peculiarem ecclesiam instituit, nullum externum ac proprie dictum sacerdotium, sed ministros tantum, et quidem ab invicem liberos, misit ad annuntiandam populis doctrinam suam, quæ cor potius quam mentem afficit. Religio enim essentialiter non consistit nisi in cordis affectu, ac mere, ut aiunt, *sentimentali*, quæ proinde in se immutabilis est, licet diversas formas accidentales capere possit, hinc diversitas formarum non officit unitati religionis. Oportet præterea distinguere, subdit Bretschneider (2), inter ecclesiam et christianitatem; Christus Dominus fundavit quidem christianismum, minime vero formam catholicam vel græcam vel evangelicam christianismi. Sane, concludit Felix Bodin (3), ecclesiæ ab apostolis fundatæ non erant nisi totidem societates inter se distinctæ atque independentes, ad quarum regimen aliquis ex præstantioribus fidelibus eligebatur; omnes autem ejusmodi aristocraticæ respUBLICÆ sacræ communicabant cum romano præside ad instar statuum fœderatorum Americæ, qui uni subsunt generali præsidii; ergo.

Resp. Neg. antec. quoad omnes partes. Sero nimis Constant, Bretschneider, Bodin ista systemata irreligiosa ac totius revelationis eversiva excogitarunt. Incognita fuerunt apostolis ac toti antiquitati, quæ ejusmodi figmenta ne somniavit quidem. S. Petrus veram exercuit jurisdictionem in ecclesiam universam (4), prout pariter exercuerunt ipsius successores. Ecclesia est in possessione sua, a qua ipsam neque hæretici, neque rationalistæ seu increduli exturbare possunt. Omnia præterea monumenta ecclesiastica explodunt ejusmodi deliramenta. S. Clemens romanus veram exercuit auctoritatem in Corinthiorum ecclesiam (5), exercuit Victor adversus quatuordecimanos, Stephanus adversus rebaptizantes (6). S. Irenæus et

(1) *De la religion considérée dans sa source, ses formes et ses développements*, loc. cit.

(2) Opere citato.

(3) *Resumé de l'Histoire de France augmenté d'un coup-d'œil sur l'histoire de la civilisation*, Paris 1823.

(4) Act. ix, 32. Petrus utpote totius ecclesiæ caput perhibetur pertransiens universos, id est, non modo visitans omnes ecclesias tunc temporis fundatas, sed insuper in Ep. ii, cap. iii, 15, 16, approbans et commendans scripta apostoli Pauli. In concilio hierosolymitano (Act. xv, 7) omnium primus sententiam dixit circa exortam questionem. Ibid. i, 15, ipse proposuit fratribus simul congregatis, ut alter sufficeretur in locum Judæ prævaricatoris, quæ quidem omnia totidem actus sunt jurisdictionis, quam jure primatus sui Petrus apostolus exercuit.

(5) Ubi sedulo animadvertendum est, Corinthios ad sedandas seditiones ortas in propria ecclesia ad s. Clementem Romanum Pontificem confugisse, ut probabilis videtur ex communiore criticorum sententia, cum adhuc in vivis esset s. Joannes apostolus, qui tunc regebat omnes Asiæ ecclesias a se fundatas. Atque inde eruitur Romanorum Pontificum supremam auctoritatem in ecclesiam universam agnitam jam fuisse viventibus apostolis, atque ab ipsis Romanis Pontificibus jam tunc in praxim deductam.

(6) Nota est ipsius responsio seu decretura datum

asiatici episcopi hæc superioritatem ecclesiæ romanæ, seu Romani Pontificis, et agnoverunt et testati sunt (1), ut nihil dicam de subsequentibus Pontificibus. Appellationes, quæ undique interponebantur ad romanam sedem, id ipsum invictissime ostendunt (2). Verba, quibus Christus ecclesiam suam instituit, in sensum adversariorum nullo modo possunt detorqueri.

Ad id porro, quod subdit Bretschneider de distinctione inter ecclesiam et christianitatem seu christianismum, dico ejusmodi distinctionem vanam prorsus esse. Quid est enim christianismus nisi societas eorum, qui profitentur doctrinam Christi, et quidem in sua integritate, prout Christus apostolis suis illam tradidit prædicandam omnibus gentibus? Hæc autem societas alia non est, nec esse potest, nisi ecclesia. Accedit quod nullibi legitur, Christum fundasse *christianismum*, vel id ipsum inuisse; sæpiissime vero legitur, eum fundasse ecclesiam suam: *Edificabo, ait, ecclesiam meam... Qui ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*; adeo ut tota controversia, quæ a tribus sæculis viguit inter protestantes et catholicos, in hoc posita fuerit: *Quænam scilicet sit vera ecclesia Christi*; nunquam vero: *Utrum Christus fundaverit, vel instituerit ecclesiam*, prout nunc temporis a Beniamino Constant, bibliis ac rationalistis sit, qui, cum omnem fidem amiserint, confugiunt ad cordis affectum, quem vocant *sentimentalem*, ad charitatem, etc., cum Christus dixerit: *Qui non crediderit, condemnabitur*.

adversus s. Cyprianum ejusque synodum africanam: *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in penitentiam* (Ep. s. Cypri. lxxiv, ad Pompeium).

(1) Vid. præclarum s. Irenæi testimonium (*Contra hæreses*, lib. iii, cap. 5) *Ecclesiæ romanæ, ab ipso maxime vocatæ et antiquissimæ et omnibus cognite, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatæ, etc.* Ad hæc ecclesiam, ait, propter potentiorum principatum, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est, quæ est ab apostolis traditio. Qui deinde refert de Clemente, tertio ab apostolis episcopo: *Et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis...* Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthii essent, fratres facta, scripsit quæ est Romæ ecclesiæ potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum. Ex quibus patet s. Irenæum superioritatem ecclesiæ romanæ seu Romani Pontificis in universam ecclesiam apertissime agnovisse. Atque hic obiter observo, manuum editorem aliam lectionem secutum esse atque posuisse *potentiorum* pro *potentiorum*, at absque solido fundamento; etenim non innotuit nisi auctoritate codicis claromontensis, qui tamen mendosus est, cum habeat *potentiorum*, et auctoritate Salmasii protestantis, contra omnium antiquorum codicum fidem, qui habent *potentiorum*, quod quidem etiam innotuit codex claromontensis per illud *potentiorum*, vocabulum imperfectum, quo indicatur librarum per abbreviationem, ut fieri solet, scripsisse *potentiorum* pro *potentiorum*.

(2) Harum appellationum exempla plura suppeditat in suis epistolis s. Cyprianus: notæ sunt appellationes ad Romanam Sedem s. Athanasii, Pauli, etc. nec non s. Joan. Chrysostomi; imo ipsius s. Dionysii alexandrii, cum accusatus esset sabellianismi, ad s. Dionysium Romanum Pontificem.

Quod spectat ad formas, quas dicunt accidentales, *catholicam, græcam, evangelicam* (lutherano-calvinianam), respondeo Christum reipsa non fundasse nisi unam ecclesiam, quæ totam doctrinam suam et solam profiteatur sub legitimis pastoribus, eorumque capite ac principe a se constituto: *Super hæc petram, inquit, edificabo ecclesiam meam*. Quæ quidem ecclesia catholica nuncupata fuit ab ipsis temporibus apostolicis, ut supra adnotatum est, eo quod integrum complectatur christianismum, quovis tempore et quovis loco; et hæc est proprietas intrinseca et essentialis veræ ecclesiæ Christi, non vero forma eidem superveniens et accidentaliter, ut ipsi autumant. Ceteræ vero societates omnes, quæ partialem christianismum profitentur, debuerunt sibi adsciscere aliquam denominationem et formam determinatam induere, utpote locales et temporanæ; de his autem formis quid sentiendum sit, in sequenti propositione dicemus.

Inst. 1. Si unitati Christus prærogativas auctoritatis, infallibilitatis ac perpetuitatis concessit; ergo s. Petrus ejusque successores, utpote pars totius, nulla speciali prærogativa gaudent; 2. addatur promissiones Christi posse conditionatas esse, 3. prout insinuat ejus verba: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra* (Luc. XVIII, 8)? et verba Apostoli, qui, loquens de tempore quod antichristi adventum præcedet, scribit: *Nisi venerit dissessio primum*, etc. (II Thess. II, 3); 4. hinc s. Hieronymus non dubitavit de ætate sua asserere, quod *Nicænæ fidei damnatio conclamata est; ingenuit totus orbis, et arianum se esse miratus est* (1); ergo.

Resp. ad 1. D. Si Petrus ejusque successores spectarentur ut personæ private, C. si ut caput ecclesiæ, universalis pastor ac unitatis centrum N. Nam ut apposite observat s. Ambrosius: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia* (2), vel ut loquitur s. Cyprianus: *Ecclesia est in episcopo* (3); ac proinde omnes prærogativæ unitatis seu ecclesiæ eminentiori quadam ratione in Petro resident, quia in Petro ecclesia, et ecclesia in Petro est; nec fieri inquam potest, ut, cum Petrus seu Romanus Pontifex proprio ministerio fungitur, ecclesia per ipsum et in ipso non agat, non definiat, etc. Est enim caput, et quidem vivum et operans. Talis est autem ratio, quare videamus Christum Petro seorsim ea omnia contulisse, quæ toti postea contulit collegio apostolico seu ecclesiæ, quæ insuper debet regi, moveri, dirigi a capite, nec quidpiam potest independentem ab ipso.

Ad 2. Neg. Ecclesia enim eas semper ut absolutas intellexit et habuit. Addo ejusmodi exceptionem additum aperire omni perduellioni; quilibet enim hæreticus et contumax posset hoc modo eludere quamcunque ecclesiæ definitionem.

Ad 3. D. Et hæc verba intelligenda sunt de defectione partiali particularium membrorum Tr. de

(1) In *Dial. adv. Luciferianos*, n. 49, edit. Vallarsii.

(2) *Enarr. in Psal. xl*, n. 50.

(3) *De unit. Ecclesiæ*, loc. cit.

defectione totali ipsius ecclesiæ N. Transmisimus primum membrum antecedentis, eo quod non desint interpretes, qui alio sensu exponant objecta testimonia.

Ad 4. D. Et hyperbolica s. Hieronymi verba sunt intelligenda de apparente quadam ac momentanea multorum defectione, C. de vero ac generali ecclesiæ defectu N. Citata enim verba protulit s. Doctor ex occasione subscriptionis a patribus ariminensibus factæ voci *ἐπιτολοῦ*, dum nempe vim vocis non intelligerent, decepti fraudibus arianorum ac vi adacti; verum simul ac detecta est fraus, plerique illam illico retractaverunt. Deerat concilio Romanus Pontifex vel ejus legatus, majorque episcoporum ecclesiæ catholicæ pars eidem concilio non interfuit (4); addo non nisi per vim sibi a Constantii imperatoris satellitibus illatam episcopos illos subscripsisse. Sane nemo ingemit et miratur se esse et haberi, qualem se esse scit et vult; ergo, cum episcopi ariminenses ingemuerint et mirati sint juxta Hieronymum, traduci se veluti arianos, manifestum est eos tales non fuisse neque in confessione externa; alias nec ingemissent, nec mirati fuissent.

PROPOSITIO V. — *Hinc sola ecclesia catholica est vera ecclesia Christi.*

Hæc propositio necessario fluit ex precedenti. Si enim vera ecclesia Christi ea sola est, quam Christus ipse fundavit in unitate fidei ac regiminis, quæque non interrupta successione ad mundi exitum perdurare debet; cum ecclesia catholica sola sit,

(1) Ursacii potissimum ac Valentis episcoporum arianorum artibus factum est, ut deciperentur patres ariminenses, qui ad id adducti fuerunt, ut subscriberent formulæ sirmiensi, quæ vel catholica est, vel saltem sensum catholicum patitur: Filius enim catholico sensu dici potest similis Patri, at in sensu similitudinis substantialis promanantis a participatione ejusdem nature divinæ. Sed crimini datum est patribus istis, quod neglexerint formulam nicænæ, quæ erat tessera omnium catholicorum adversus arianos multiplicisque arianorum surculos, qui unanimiter eam rejiciebant. Ceterum a Constantii satellitibus plures easque gravissimas vexationes patres ariminenses passi sunt, adeo ut nullo modo censi debeat libera eorum subscriptio; facta enim est sub finem synodi, quando jam degeneraverat in conciliabulum. Dixi præterea majorem defuisse episcoporum ecclesiæ catholicæ partem; præter Romani Pontificis legatos, quia, licet nemo ex veteribus transmiserit ad nos certum episcoporum numerum tempore Constantii et Constantii, attamen opera ac diligentia Caroli a s. Paulo, Lucæ Holstenii atque Binghamii, facta recensione omnium sedium episcoporum ecclesiæ catholicæ in Imperio romano, compertum est numerum eorum per ea tempora ad 1800 attigisse, quorum mille inveniebantur in provinciis græcis Imperii, octingenti vero in latinis. Etsi huic supputationi non subscribamus, nam ex aliis monumentis constat longe plures per ea tempora in occidentali præsertim ecclesiæ episcopos fuisse. In hoc censu præterea desunt sedes episcopales extra ditionem romanam positæ, quæ paucæ non erant. In concilio vero ariminensi non interfuerunt nisi 400 Episcopi, ex quibus juxta s. Athanasium, lib. *De synodis*, quinquaginta, et juxta Sulpitium Severum, octoginta erant ariani. Cons. *Collectio Conciliorum Labbei*, tom. ii, col. 792 et seqq.